LAUDE, SALMI E INNI DA CANTARSI DA' FRATELLI DELLA VEN...

Digitized by Google

LAUDE, SALMI
E INNI

Da Cantarſi da' Fratelli della Ven. Compagnia


DI S. ALBERTO BIANCO

NELLA FESTA, E PROCESSIONE

DEL SANTISSIMO

CROCIFISSO

DELLA PROVVIDENZA.



1872

IN FIRENZE. MDCCLXXXIII.

Nella Stamperia Arciveſcovile. *Con lic. de' Sup.*

Digitized by Google

Digitized by Google

LAUS PRIMA.

ECce rurſus Salvatoris
Fulget pompa, ſurgit grata
Dies hæc plena nitoris,
Dies alma fortunata.

INTERCALARE.

Cives plaudite, Alleluia,
Cantus tollite, Alleluia.
Preces plauſibus,
Plauſus precibus
Adiungite, Alleluia.
Dies iſta quam ſerena!
Claram magis Cæli Sole,
Corde mundo, voce plena,
Votis, Flora, piis cole.
Cives &c.
Huc te fides obſequentem,
Huc te vocat amor Cæli,
Veni, cœtus, & præſentem
Redde greſſu te fideli.
Cives &c.

Tuam

Digitized by Google

Tuam mentem nec plagarum
Sacer terreat aſpectus;
Sunt humanæ pignus charum
Et ſalutis fons perfectus.
Cives &c.

Suam mutant iam naturam
In Triumpho tam ſolemni
Pœnæ Chriſti, & Creaturam
Palma ſuſcitant quinquenni.
Cives &c.

Spinæ, clavi, flagra, plagæ,
Caput, pedes, terga, vitam
Sine cæde, ſine ſtrage,
Eſſe probant infinitam.
Cives &c.

Ergo ceſſet horror, luctus,
Dolor, timor ceſſet Mundo,
Salvatoris redit fructus
Die cælitus jucundo.
Cives &c.

Redit riſus, & trophæo
Plauſus datur a Chriſtianis,
Plauſus datur atque Deo
Signis veris, & non vanis.
Cives &c.

Jure

Digitized by Google

Jure languent nunc tormenta,
Et mors ipſa fugit retro
A ſplendore turbulenta,
Et ſevera vultu tetro.
Cives &c.
Plagæ charæ, quæ donatis
Nobis vitam, nobis ſortem
Reſurgendi de peccatis,
Et vincendi ſævam mortem.
Cives &c.
Ad cor Jeſu properate,
Qui ſalvandos nos creavit,
Et ſceleſtos charitate
Nos redemit, & ſalvavit.
Cives &c.
Jeſus cauſa veræ viæ,
Naſcens, docens pandit ſinum
Peregrinæ genti piæ,
Pandit pectus & divinum.
Cives &c.
Si cor molle, Turba, foves,
Arcens lupos en cuſtodit
Charas Paſtor ſuas oves,
Fraudes pellit, culpas odit.
Cives &c. Ergo

Digitized by Google

Ergo quiſquis alto dono
Crucifixi Triumphantis,
Pignus grato junctum ſono
Cordis dedicet amantis.
Cives &c.

Ad cæleſtes ſic ad oras
Iter ſternet, & ſalutis
Tutus erit, vincens moras
Summæ munere virtutis.
Cives &c.

O ſerena dies alma,
Vitæ cauſa, fons amoris;
O æterna Chriſti palma
Fidem probans Salvatoris.
Cives &c.

LAUS SECUNDA.

HYmnum dic ſonorum
Per ſemitas florum
O turba devota,
Et cantus, & vota
Perſolve Tonanti,
Victori, & amanti.

Jam

Digitized by Google

Jam palmas, jam flores
Afferte maiores,
Vos Chriſti vincentis,
Vos veris ridentis
Invitat, o Cives,
Solemnitas dives.
Surrexit a morte
Dolorum conſorte
Divinus Magiſter,
Salutis Miniſter,
Per clavos, & cædes
In manus, in pedes.
Hic latus apertum,
Et caput refertum
Spinoſa Corona
Oſtendit, & bona
Parata mortali
In Regno Immortali.
Plagarum nitore,
Qui prodit a flore
Supremæ Sionis,
Dat malis, dat bonis
Aſylum ſperandi,
Et modum ſalvandi.

Digitized by Google

Ne time, fidelis;
Se pandit e Cælis
Triumphans de fato,
Aſpectu beato
Et Amor, & Fides:
Lætare, jam vides.
Jam vides cadentem,
Et mortem timentem,
Mortiſque ſequaces
Miniſtros fugaces,
Peccata, & Infernus,
Quos vorat internus.
Amando, credendo
Accede, videndo
Tonantis ſecurus,
Sed corde non durus;
Te ſupplicem JESUS
Expectat jam læſus.
Triumphat hac luce
De Morte, de Cruce
Salvator, & pedem
Chriſtianis ad ſedem
Cœleſtem munivit,
Quos amans quæſivit.

Ac-

Digitized by Google

Accede ; dilectus
Jam Sponſus electus
Te vocat ad feſtum ;
Depone funeſtum
Et cordis dolorem ;
Et oris mœrorem .
Doloris ſuperbi
Sanctiſſimi Verbi
Recurrit ſolemne
Trophæum quinquenne ;
Devotus accede ,
Et lacrymis cede .
Jam Majus tributa
Dat Numini muta
Odore vireti
A floribus læti ;
Nec germinant fruſtra
Cum roſis liguſtra .
Jam diſce doctrinam
Occultam , divinam ,
Et Roſæ rubentis ,
Liliique candentis ,
Te docent amorem ,
Te docent candorem .

Digitized by Google

Tormenta ſubire,
Pro Chriſto perire,
Domare nocentes,
Et hoſtes potentes,
Flos omnis in prato
Te docet gemmato.
Si cupis ſalutem,
Exerce virtutem,
Formoſa quam claudit,
Et Domino plaudit
Propago jam veris;
Sic Cœlo frueris.
Nunc cordis aperti,
O cætus Alberti,
Divini lætare
Triumphos cantare,
O Duce pietate
Æternum Beate. Amen.

Hymnus.

ÆTerne Rex altiſſime,
Redemptor, & fidelium
Cui mors perempta detulit
Summum triumphum gloriæ.

Aſcen-

Digitized by Google

Aſcendis Orbis ſiderum ,
Quo te vocabat cælitus
Collata , non humanitus
Rerum poteſtas omnium .
Ut trina rerum machina ,
Cæleſtium , terreſtrium ,
Et inferorum condita
Flectat genu jam ſubdita .
Tremunt videntes Angeli
Verſam vicem mortalium :
Paccat caro , mundat caro ,
Regnat Deus Dei caro .
Sis ipſe noſtrum gaudium
Manens Olympo præmium .
Mundi regis qui fabricam ,
Mundana vincens gaudia .
Hinc te precantes quæſumus ,
Ignoſce culpis omnibus ,
Et corda ſurſum ſubleva
Ad te ſuperna gratia .
Ut cum repente cœperis
Clarere nube judicis ,
Pœnas repellas debitas ,
Reddas coronas perditas ,

Ieſu

Digitized by Google

Ieſu tibi ſit gloria ,
Qui victor in Clæum redis ,
Cum Patre , & almo Spiritu
In ſempiterna ſecula . Amen .

Pſalm. 113.

IN exitu Iſrael de Ægypto : * Domus Jacob de populo barbaro .
Facta eſt Judæa ſanctificatio ejus , * Iſrael poteſtas ejus .
Mare vidit , & fugit : * Jordanis converſus eſt retrorſum .
Montes exultaverunt ut arietes : * & colles ſicut agni ovium .
Quid eſt tibi mare, quod fugiſti : * & tu Jordanis , quia converſus es retrorſum ?
Montes exultaſtis ſicut arietes : * & colles ſicut agni ovium .
A facie Domini mota eſt terra : * a facie Dei Jacob .
Qui convertit petram in ſtagna aquarum : * & rupem in fontes aquarum .
Non nobis , Domine , non nobis : * ſed nomini tuo da gloriam .

Super

Digitized by Google

Super miſericordia tua, & veritate tua: * nequando dicant gentes: ubi eſt Deus eorum?

Deus autem noſter in Cælo: * omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulacra gentium argentum, & aurum: * opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur: * oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient: * nares habent, & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: * non clamabunt in gutture ſuo.

Similes illis fiant, qui faciunt ea: * & omnes qui confidunt in eis.

Domus Iſrael ſperavit in Domino: * adjutor eorum, & protector eorum eſt.

Domus Aaron ſperavit in Domino: * adjutor eorum, & protector eorum eſt.

Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino: * adjutor eorum, & protector eorum eſt.

Digitized by Google

Dominus memor fuit noſtri: * & benedixit nobis.

Benedixit domui Iſrael: * benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus, qui timent Dominum: * puſillis cum majoribus.

Adiiciat Dominus ſuper vos: * ſuper vos, & ſuper filios veſtros.

Benedicti vos a Domino: * qui fecit cælum, & terram.

Cælum cæli Domino: * terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine:* neque omnes, qui deſcendunt in Infernum.

Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino:* ex hoc nunc, & uſque in ſeculum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Pſalm. 115.

CRedidi, propter quod locutus ſum, * ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo, * omnis homo mendax.

Digitized by Google

Quid retribuam Domino * pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: * & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.

O Domine, quia ego ſervus tuus, * ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, * & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini in medio tui Jeruſalem.

Gloria Patri, & Filio &c.

Pſalm. 26.

LAudate pueri Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: * ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

A ſolis ortu uſque ad occaſum: * laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: * & ſuper cælos gloria ejus.

Digitized by Google

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat: * & humilia reſpicit in cœlo, & in terra?

Suſcitans a terra inopem; * & de ſtercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus: * cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo:* matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri, & Filio &c.

Canticum B. M. V.

MAgnificat:* anima mea Dominũ.
Et exultavit ſpiritus meus: * in Deo ſalautari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt, * & ſanctum nomen ejus.

Et miſericordia ejus a progenie in progenies: * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo, * diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: * & exaltavit humiles.

Digitized by Google

Eſurientes implevit bonis, * & divites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſrael puerum ſuum: * recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros, * Abraham, & ſemini ejus in ſæcula.

Gloria Patri, & Filio &c.

Hymnus.

JEſu noſtra redemptio,
Amor, & deſiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum:

Quæ te vicit clementia,
Ut ferres noſtra crimina,
Crudelem mortem patiens:
Ut nos a morte tolleres!

Inferni clauſtra penetrans,
Tuos captivos redimens,
Victor triumpho nobili,
Ad dextram Patris reſidens.

Ipſa te cogat pietas,
Ut mala noſtra ſuperes
Parcendo, & voti compotes
Nos tuo vultu ſaties.

Digitized by Google


Tu eſto noſtrum gaudium,
Qui es futurum præmium;
Sit noſtra in te gloria
Per cuncta ſemper ſæcula. Amen.

Hymnus.

SAlutis humanæ Sator,
Jeſu voluptas cordium,
Orbis redempti conditor,
Et caſta lux amantium:
Qua victus es clementia,
Ut noſtra ferres crimina,
Mortem ſubires innocens,
A morte nos ut tolleres!
Perrumpis infernum chaos,
Vinctis catenas detrahis;
Victor triumpho nobili
Ad dexteram Patris ſedes.
Te cogat indulgentia,
Ut damna noſtra ſarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.
Tu Dux ad aſtra, & ſemita,
Sis meta noſtris cordibus,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium. Amen.

Digitized by Google

LA CAPPELLA




Cru ci fi xum in car ne



lau de mus.

CANTORI.




Et ſepultum pro pter nos



glo ri fi ce mus.

CO-

C O R O.



Al le lu ia Al le lu ia



Al le lu ia.

℣. Hæc dies quam fecit Dominus.
℟. Exultemus, & lætemur in ea.

F I N I S.

S 935433

Digitized by Google